

SINGVLARES QVASDAM  
MARTINI LVTHERI  
DE MATRIMONIO SENTENTIAS  
EXAMINAT

---

ET  
VIRO CONSVLTISSIMO DOCTISSIMO  
FRIDERICO PLATNERO M. A.  
L I P S I E N S I

SVM MOS IN VTROQVE IVRE HONORES

GRATV LATVR  
IOANNES GEORGIVS RICHTER M. A.

S. S. THEOL. BACCAL. ET PHILOLOG. S. PROF  
PVBL. EXTRAORD

---

D. XVII. FEBRVAR. A. R. S. CIOCCCLII

---

L I P S I A E  
TYPIS BREITKOPFIANIS.

*df*

*a. XCVI. 38*

ll. diss. A  
38

DE MATRIMONIO SENTENTIAS  
MARTINI LUTHERI  
C. V. A. S. D. A. M.

FRIDERICUS PLATNER O. M. A.  
VRO. CONSISTORIO-RECTOR



*VIR CONSULTISSIME,  
DOCTISSIME,*

*Fautor atque Amice singulariter  
colende,*

**N**on possum non confiteri, maximo  
me cumulari gaudio, quod hodie  
demum illuxit optatissimus ille  
dies, mibique non minus quam **TIBI** laetissi-  
mus, quo studiorum tuorum, quae adhuc ad  
iuris intelligentiam cum laude contulisti, fructus  
iam capis uberrimos. Reprehensionem sane vix  
effugerem, si hanc, quam mihi se obtulisse lae-  
tor, occasionem, meum **TIBI** animum testi-  
ficandi, dimitterem. Amicitiae **TVAE**,  
quae mihi adhuc edidisti, specimina, tanta sunt,  
vt ea quam firmissime in animo meo non modo  
scripta, sed trabali veluti clauo fixa teneam.  
Quid itaque mirum, si iam, quum recentior mi-  
hi sit eorum memoria, ea colam, quae nulla um-

quam obscuratura erit obliuio? Summi, quibus  
TE hodie ornatum laetus conspicio, in utroque  
iure honores, ut TIBI sint cuiusuis felicitatis  
initia, opto ex animo, omnis adulationis ex-  
perte. Huius mei animi testis sit tenuis haec  
commentatio, quam TIBI, exiguum licet do-  
num, offero. Argumentum, cui num satisfe-  
cerim, penes TE iudicium esto, eiusmodi elegi,  
quod nec a studiis TVIS plane alienum, nec  
TIBI prorsus ingratum fore ratus sum. Val-  
de laetabor, si huius diei celebritatem alia breui  
tempore excipiat, qua id in TE conspiciatur,  
quod meae disputationis primarium est argu-  
mentum, hoc est, si pulcram, honestam, ingenio,  
virtute, et, si lubet, auro ornatam TIBI iun-  
ctam videamus sociam. Vale, AMICISSI-  
ME PLATNERE, res TVAS  
age feliciter, eumque, a quo hoc proficiscitur  
munusculum, carum habere perge. Dabam  
Lipsiae, D. XVII. Febr. MDCCCLII.

QVVM



V V M ipse sanctissimus omnium rerum creator, primo homine formato, non modo bene sapienterque iudicauerit, non conuenire, ADAMVM esse solum, sed ei etiam coniugem adduxerit, hac re satis superque nos docuit, matrimonium esse statum, qui tantum abest, vt ipsius Numini displiceat, vt potius, ab ipso institutus, si quis alius, gratus ei sit atque acceptus. Quem ad modum autem nihil tam bonum est, tamque sanctum, vt non a peruersis hominibus violari possit ac profanari, sic multa quoque in caussa matrimonii committi possunt, et saepius committuntur, quae illud si non contaminant, ei tamen inter minus recte sentientes labem adspargunt et maculam. Summa igitur omnes sibi caueant opera, ne, in caussa pia et sancta impie vel incaute versantes, rem, quam DEVS ipse sanctam esse iussit, polluant. Hos et alios eiusmodi facile effugiemus scopulos, si id, quod doctores Iuris Canonici hoc de argumento tradunt, debita mentis attentione obseruemus. Haec sunt, quae animo meditabar, quum nuper, b. MART. LVTHERI scripta, alio licet consilio, voluens, in aliquem

## VI

forte locum inciderem, in quo vir, omni mea laude maior, quaedam de matrimonio dixisse videbatur, quae pugnae alicuius cum Iuris Canonici doctrinis speciem prae se ferebant. Qua quidem re curiosior factus, plures beati viri de hac materia collegi sententias, atque inueni, multas esse, quae veritatem amantibus scrupulum iniicere possunt et quamdam dubitationem. Operae itaque pretium me facturum esse existimaui, si commoda hac nata occasione, quasdam earum in medium proferam, ita, vt eas cum Iuris Canonici regulis conferam, et, si fieri potest, iisdem conciliem.

PRIMO loco haec sese nobis offert quaestio, quo pertineant causae matrimonii, num ad forum Politicum, an Ecclesiasticum? Apud nos quidem de omnibus, quae huc spectant, forum Ecclesiasticum, quod *Consistorium* vocatur, decidere, inter omnes constat; id quod ipsa quoque rei natura exigere videtur, quod matrimonium iure pro re sancta habeatur. Contrariam tamen sententiam fouere LUTHERVM, ex verbis eius colligi potest, quibus matrimonium *rem mere saecularem* appellat. In *sacra* quadam *oratione*, A. C. MDIOXXII. habita sic verba facit: *Darum wisse, dass die Ehe ein äusserlich leiblich Ding ist, wie andere weltliche Handthierung* <sup>a</sup>. Et in libello von *Ehesachen*, A. C. MDIOXXX. scripto: *Es kann ja niemand leugnen, dass die Ehe ein äusserlich weltlich Ding ist, wie Kleider und Speise, Haus und Hof, weltlicher Obrigkeit unterthan* <sup>b</sup>. Item in *Tisch-Reden*: *Der Pfarrherr zu N. hat mir eine Ehesache zugeschicket, ihm mein Bedencken darinne anzuzeigen. Dem will ich eine gute Sau geben,*

<sup>a</sup>) Tom. X. Opp. pag. 716. n. 23.  
edit. quae Halae cura IO. GEORG.

WALCHII prodiit.  
Opp. pag. 892. n. 2.

<sup>b</sup>) Tom. X.

geben, dass er mich in solche Händel wickeln und mischen will, die für die weltliche Obrigkeit gehören: denn es sind äusserliche Dinge, so mit Mitgifften, Morgengaben, Gütern, Erbe, u. d. g. umgeben: was gehet aber das uns Prediger an, die wir nur den Gewissen raten sollen: und die Obrigkeit will uns solches auflegen: und das mehr ist, wenn sie unsers Rathes und Bedenckens gebrauchen, so gefällt es ihnen nicht, und wollens nicht exequiren noch ins Werck setzen. Darum will ich solche Händel der Obrigkeit wieder heimschicken, dass sie dieselben entweder den Officialen zuschicken, die selbst darüber erkennen und urtheilen, oder aber unserm Bedencken folgen und exequiren. Wir sind Hirten über die Gewissen, nicht über Leib und Gut<sup>c</sup>. Patet ex hisce LUTHERI verbis, eum partim matrimonium pro, re saeculari habuisse, partim, id quod ex priori sequitur eum omnes causas, quae huc spectant, ad forum politicum delegasse. De utroque itaque dicendum nobis erit. Ut ordine procedat disputatio nostra, ab eo, quod primo loco posuimus, exordiamur, et, quo iure matrimonium saecularis causa dici possit, dispiciamus. Non parui momenti esse hanc quaestionem, quae causa sit saecularis, quae ecclesiastica, inde apparet, quod tot ac tantae inter Pontificios imperii ordines, et eos, qui castra eorum reliquerunt, Protestantes vocantur, hac de re exortae sunt lites; unde etiam in illis administrationis formulis, quae IOSEPHO et CAROLO VI. Imperatoribus praescriptae sunt, Electores recens electos Caesares hortantur, ut omni studio omnique contentione in eo laborent, ut res saeculares et ecclesiasticae rite secernantur<sup>d</sup>. Quae autem rerum ecclesiasticarum nomine veniant causae, non fatis

<sup>c</sup>) Tom. XXII. Opp. p. 1697. n. 20. conf. p. 1733, n. 83. p. 1749. n. 79.

<sup>d</sup>) vid. Capitulatio Iosephina, Art. XVIII. et Carolina, Art. XIII.

fatis expeditum est. Illustris VIT. LVDOV. A SECKENDORF<sup>e</sup> huc in primis refert religionem, fidei confessiones, ritus ecclesiasticos, templa, clericorum salaria, scholas et Academias, cet. Quis autem est, qui non videat, quam vaga haec omnia sint, quamque incerta? Nonne multo plura in medium proferri possunt, quae eodem iure sacra dici merentur? Nonne e contrario in his ipsis, quae a SECKENDORFIO sacris adnumerantur rebus, multa obuenire possunt, quae certis quibusdam rebus circumstantibus in ciuilia conuertuntur? Nulla facile res tam sancta excogitari potest, cui non, in primis si in disceptationem et controuersiam vocata sit, aliquid insit, quod ciuilis causae speciem habeat. Atque huic quidem obseruationi originem debere videtur illa ICTORUM doctrina, qua certas quasdam causas, *causas mixtas*, seu *mixti fori* appellant, quarum praecipuae sunt *causae usurariae prauitatis*, *relaxatio iuramentorum*, *crimen magiae seu sortilegii*, *causae miserabilium personarum*. Si qua igitur iudicandi virtute valeo, omnis haec res ex cuiusque loci usu et consuetudine tutius, quam ex certis regulis diiudicatur. Iam vero ad id, quod caput rei est, deueniamus, et videamus, num matrimonium ad *causas mere saeculares* referri possit, quae LVTHERI videtur sententia. Matrimonium duplici ratione considerari potest, vel ratione *formae internae*, quatenus iuris diuini est, vel ratione *formae externae*, quatenus actus ciuiles cum eo coniuncti sunt. Si spectemus *formam eius internam*, pro causa mere saeculari nullo modo haberi

e) in *Teutschen Fürstenstaat*, Part. II. Cap. II. n. 2. conf. GOTTL. GERH. TITII *Probe des teutschen geistlichen Rechts*, Lib. I. Cap. VI. §. 17. sqq. IVST. HENNING. BOEHMERI *Ius Ecclesiasticum Protestantium*, Lib. II.

Tit. II. §. 13. 14. BENED. CARPZOVII *Iurisprudencia Ecclesiastica*, Lib. II. Defin. I. s. MART. SCHRADERI *Liber singularis de Causis Fori Ecclesiastici*.



haberi potest. DEVS non modo auctor est coniugii, et illud instituit, sed etiam singularem suam prouidentiam, non modo in ipso ineundo matrimonio, sed et in hac vel illa praecipue socia vitae eligenda manifestat, et in hac quidem re eminentiori modo, quam in aliis rebus humanis. Haec sine dubio est caussa, cur non modo in formula illa, qua desponsati publice proclamari solent, matrimonio cognomen *sancti* adiiciatur, *sich in den HEILIGEN Ehestand zu begeben*, sed et omnium regum sapientissimus matrimonium vocauerit *ברית אלהים foedus DEI f.* Summo itaque iure de nuptiis pie honesteque conciliatis valet per- vulgatum illud: *fiunt connubia fato*, siue, vt nostra lingua efferri solet, *die Eben werden im Himmel geschlossen g*; quod tamen non de fato Stoico, sed more Christiano homine digno, ita explicari volumus, vt de singulari quadam diuina prouidentia, mentisque dispositione in matrimonio conspi- cua intelligatur. Ponamus autem, matrimonium esse rem mere *saecularem*, ad quas quaeso caussas illud referre velis? Num forte ad *contractus*? cum quibus maiorem certe prae reliquis habet similitudinem. At ne horum quidem in nu- mero habendum est coniugium. Ipse IUSTINIANVS im- perator retulit illud ad *ius personarum*<sup>b</sup>, quum contra ea, *contractus* ad *ius rerum* pertinere, a nullo Ictorum in du- bium vocatur. Praeterea, si matrimonium esset *contractus* mere ciuilibus, integrum foret coniugibus, vtraque parte con- sentiente, illud ob quamuis caussam soluere, quod quidem licet in *contractibus* mere ciuilibus, in matrimonio autem minus.

f) PRO V. II, 17. conf. PRO V. XVIII, 14. GEN. XXIII, 14. IVD. XIII, 4. *die Eben werden im Himmel gemacht.*  
 Francof. ad Moen. CXCCLXXVI.

g) conf. IO. BARTHOL. HEROLDII Diss. de Fato Matrimonii, vulgo, *h) Institut. Lib. I. Tit. VIII. de patria potestate, et Tit. X. de Nuptiis.*

minus. Quando vero LUTHERVS matrimonium rem *saeculari* appellauit, respexit sine dubio ad ciuitatem et rem publicam, in qua viuunt, qui illud ineunt, et ad res quasdam circumstantes, quae ciuiles sunt, v. c. dotem. Harum quidem rerum si rationem habeas, matrimonium caussa *saecularis* ex parte dici potest, quem ad modum etiam IVSTINIANI iam temporibus inter res ciuiles relatum est<sup>i</sup>: quum vero a potiori semper fiat denominatio, rectius pro sacro habetur negotio. Ex his, quae adhuc in medium protulimus, facile apparet, quid de ea iudicandum sit consuetudine, qua caussae matrimonii his in terris coram foro ecclesiastico transiguntur. Ego quidem certissime mihi persuasum habeo, ne vllam quidem esse caussam, quae natura sua ita sit comparata, vt coram iudicio ciuili agi non possit, licet, hac de re a me dissentiant Pontificii<sup>k</sup>. Vnde non facile potest certo definiri, quae res ad forum ecclesiasticum pertineant. IO. quidem SCHILTERVS<sup>l</sup> duas nobis reliquit regulas, quae huic rei diiudicandae inseruiant, quae tamen rem nondum conficere mihi videntur. Prima earum haec est: *Omnes caussae, quae ex iure diuino et ecclesiastico sunt decidendae, ad forum ecclesiasticum pertinent.* Quam late autem haec patent? Quid quaeso est ius diuinum? num leges diuinae *positivae*, an leges *iuris naturae*? De his nemo facile cogitabit. Nec tamen, si illas quoque intelligamus, regula firmo nititur fundamento. Nonne homicidium, incestus, se-

cundum

<sup>i</sup>) conf. ff. Lib. XXIII. Tit. I. de *Sponsalibus*, et Tit. II. de *Nuptiis*.

<sup>k</sup>) Sententiam BENED. CARPZOVII et CHRIST. WEBERI, quorum ille in *Iurisprudencia Ecclesiastica*, Lib. I. Tit. I. Def. XI. et Lib. III. Tit. I. Def. I. hic vero in Libro, de *Iure et Ratione Consistoriorum*, sta-

tuit, res ecclesiasticas necessario coram senatu ecclesiastico transigendas esse, solide confutauit IO. LAUR. FLEISCHERVS in *der Einleitung zum geistlichen Rechte*, Lib. III. Cap. I. §. VI. Sic *Hamburgi* nullum est *Consistorium*, sed omnes res ecclesiasticae coram *Deputatis*, qui vocantur, politicis dirimuntur.

cundum leges a D E O reuelatas puniri debent? neque tamen horum delictorum cognitio penes *Consistorium* est. Quatenus enim hae caussae sunt externae, principis decisioni subiectae sunt, quum ecclesia omni externa careat iurisdictione. Licet enim quaedam eiusmodi externae caussae in *Saxonia* pariter et in aliis regionibus interdum coram ecclesiastico foro transigi soleant, id tamen, quia commodius videtur, et ex diu recepta potius fit consuetudine, quam ex absoluta quadam necessitate. Altera SCHILTERI regula haec est: *Quaecumque circa personas et res ecclesiasticas, qua tales, aut quatenus saltem a iurisdictione ciuili exemptae sunt, oriuntur controuersiae, ad forum ecclesiasticum spectant.* Haec verba tanta laborant obscuritate, vt regulae nomen vix mereantur. Supra vidimus, quam arduum sit, definire, quae caussae sint ecclesiasticae. Si vero de hoc non certo constat, quomodo illud cognosci potest, quod ex hoc explicari debet? Quod si quis ex te quaerat, quinam libri sint prohibiti? et tu respondeas, qui legi non debent, nonne circuli in disputando admissi alter tibi diem dicet? Eadem est huius effati ratio, eas res pertinere ad forum ecclesiasticum, quae sint ecclesiasticae; quum tamen hoc ipsum sit τὸ κρυπόμενον, ideoque obscurum definiatur per aequae obscurum. Cognitionem itaque rerum, ad forum ecclesiasticum pertinentium, non tam regulis, quam exemplis, et receptis cuiusuis loci moribus consequimur. Saepius enim caussa, quae hoc in loco coram foro ecclesiastico agitur, alia in regione ciuilibus iudicis arbitrio diiudicanda permittitur. Quod vero ad caussas matrimonii attinet, lege apud nos constitutum est, vt coram foro ecclesiastico decidantur. Namque in *Constitutione de utroque Consistorio* <sup>m</sup> in rebus, ad *Consistorium* pertinen-

B 2

tinen-

l) in *Institutionibus Iuris Canonici*, Lib. I. Tit. V. §. VI.

m) Tit. VII. *Was für Sachen in das Consistorium gehörig.*

tinentibus, primo loco commemorantur *alle Ehesachen*, wie sie Namen haben, welche durch die Superintendenten und jedes Orts Obrigkeit, auf die ihnen zugestellte Ordnung, nicht können verrichtet und verglichen werden. Summo autem iure hoc ita sancitum esse, argumentis facile comprobari potest. DEVS, sanctissimus coniugii auctor, non modo certis quibusdam positis limitibus, constituit, inter quos nuptiae conciliari possint, verum etiam docuit, a quo, qua ratione, et quas ob causas matrimonium solui queat. Quum vero haec omnia ex solis litteris sacris ope accuratae linguarum originalium cognitionis diiudicari debeant, maxima semper de Theologis, sacro huic collegio assidentibus, est opinio, ut qui diuini codicis locos melius interpretari, et praesenti causae accommodare possint, quam illi, quibus, his studiis operam dare, vitae ratio non permittit. Ipse etiam Sanctissimus SERVATOR, qui primaeuam coniugii legem pristinae restituit integritati, suauissimis suis doctrinis causas quoque matrimonii inseruit<sup>n</sup>. Synedrium magnum apud Iudaeos, cuius assessores etiam sacerdotes erant, immo ipse Pontifex Maximus, praeter cetera, de causis quoque matrimonii iudicium ferebat. Sanctus DOMINI ORATOR, PAVLLVS, *Corinthios*, ob causas quasdam matrimonii consilium ab eo petentes, non ad politicum delegat magistratum, sed ipse, qua ratione in eo se gerere debeant, praeclare eos docet<sup>o</sup>. Idem diuinus gentium doctor incestuosum priuigni cum nouerca coniugium non modo grauius reprehendit, sed et excommunicatione vindicat<sup>p</sup>. Ex quo apparet, primitivae ecclesiae usum huic, de causis matrimonii coram foro ecclesiastico iudicandi, fauere consuetudini. Neque contra hunc morem aliquid efficiunt illi, qui

<sup>n</sup>) MATTH. XVIII, 1. sqq. MARC. X, 1. sqq.

<sup>o</sup>) I COR. VII.

<sup>p</sup>) I COR. V, 5.

qui ita colligunt: quia iste mos Pontificiis originem debet, ergo apud nos non est tolerandus. Negari quidem non potest, Pontificem Romanum primum has sibi causas cognoscendas vindicasse, propterea, quod in eo, si legibus solueret homines, magnum se quaestum facere posse existimabat. Quum autem haec in nostris *Consistoriis* cesset ratio, saluis magistratus iuribus, res matrimonii coram iudicio ecclesiastico agi possunt, in primis, quum illi, qui *Consistoriis* assident, non modo sint Theologi, sed et Politici. Nullum denique speramus fore, qui ex hac nostra sententia efficiat, nos matrimonium pro *sacramento* proprie sic dicto habere, quam Pontificiorum sententiam, erroris opinione fictam, tota mente detestamur. Argumenta, quibus contrarium demonstrari potest, iam non repetemus, quum a Theologis, qui doctrinae fauent puriori, iam dudum in medium prolata sint. Quando vero et horum aliqui hoc nomine appellant matrimonium <sup>q</sup>, tunc voci *sacramenti* eam subiiciunt notionem, quam in scriptis quoque patrum deprehendimus, qui tam lata significatione hac voce vsi sunt, vt ipsos Veteris Foederis ritus *sacramenta* vocauerint <sup>r</sup>; quem ad modum etiam Libri ecclesiae nostrae Symbolici *Ab-solutionem* eodem sensu *sacramentum* nominant <sup>s</sup>.

NOTA est Ictorum distinctio, qua *sponsalia* diuidunt in *sponsalia de praesenti et de futuro*. *Sponsalia de praesenti*, subaudi, matrimonio, dicunt ea, quibus consensus matrimonii declaratur per *verba praesentis temporis*, v. c. *Ego te DVCO in uxorem*; *Sponsalia autem de futuro* definiunt per *futurarum nuptiarum promissionem*, *verbis futuri*

q) v. c. IO. GERHARDVS in *Lo-cis Theologicis*, Tom. VII. pag. 54.

r) conf. AVGVSTINVS Lib. Art. XHI.

XVIII. contra Faustum, Cap. XIII.

s) in *Apologia August. Confess.*

turi temporis factam, e. c. *Ego te DVCAM in uxorem.* Quae distinctio licet quam maxime vñitata sit Iuris Canonici doctoribus, grauiter tamen eam perstrinxit LUTHERVS, in *Consilio quodam Theologico*, ad GEORG. SPALATINVM A. C. CIO IO XXVII. scripto<sup>r</sup>: *Aber disß ist ein lächerlicher Poss, daß verba de futuro, wie sie es nennen, accipiam te, nicht binden sollen. Denn, weiß doch das gantze Teutschland wohl, daß unsere Sprach gegenwärtiges Gemüth und Verheißung mit diesen Worten ausspricht, wenn wir also sagen: Ich will dich haben, ich will dich nehmen. Wo nun die Zusammengattung der Liebe, und künftige Erfüllung der Zusage in diesen Worten verstanden wird, wie sollte denn nicht auch das gegenwärtige Gemüth oder Zusage dadurch verstanden werden? Denn diese Teutsche Worte, ich will dich haben, könnet ihr Lateinisch nicht anders deuten denn also: Ego volo te habere, vel volo te accipere, wenn ihr es auch gleich von Wort zu Wort verdollmetschet. Nun ist ie das Wort Volo, das ist, ich will, ein Wort der gegenwärtigen Zeit; wie wir auch also reden. Den Juristen aber träumet, es werde also verdeutscht: Ich will dich nehmen, das ist, Ero te accipere, das ist, ich werde dich nehmen, oder in futurum te accipiam, das ist, ich werde dich künftig nehmen; dadurch doch ein ieglicher Teutscher keine künftige, sondern alle gegenwärtige Verheißung verstehet. Zudem wenn ein Vater spricht: Dabo tibi filiam meam uxorem, das ist, ich will dir meine Tochter zum ehelichen Weibe geben; so wird dadurch eine gegenwärtige Zusage eines gegenwärtigen Gemüths verstanden. Denn sonst sehe ich nicht, wie einer seine Tochter verloben könnte, man wollte denn mit einem künftigen Wort gegenwärtig Gemüth und Verheißung bekräftigen. Aber* verbum

r) Tom. X. Opp. p. 820. n. 5. f.

verbum de praesenti, das gegenwärtige Wort, do, accipio, das ist, ich gib, ich nimm, ist mehr die würckliche und persönliche Ueberantwortung, und gehört zu dem öffentlichen Verlöbniß und Zusammengeben; welche würckliche oder persönliche Ueberantwortung ie von niemand, denn von den unverständigen und unerfabrenen Wäschern mag eine Verlöbniß genannt werden. Et in libello von Ehesachen<sup>u)</sup>: Gleichwie sie auch (die ungelehrten Juristen und Officialen) ein lauter Narrenspiel getrieben haben, cum verbis de praesenti vel de futuro. Damit haben sie auch viel Ehe zurissen, die nach ihrem Recht gegolten hat, und gebunden, die nichts gegolten hat. Denn diese Worte: Ich will dich zum Weibe haben; oder, ich will dich nehmen, ich will dich haben, du sollt mein seyn, und dergleichen, haben sie gemeiniglich verba de futuro genennet, und fürgeben, der Manns-Name sollte also sagen: Accipio te in vxorem, ich nehme dich zu meinem Weib; der Weibsname also: Ich nehme dich zu meinem Ehemann. Und haben nicht gesehen noch gemerckt, dass dis nicht im Brauch ist, Teutsch zu reden, wenn man de praesenti redet; sondern das heist de praesenti geredt: ich will dich haben. Ego volo te habere; est praesentis temporis, non futuri, darum redet kein Teutscher Mensch von zukünfftigen Verlöbniß, wenn er spricht, ich will dich haben oder nehmen. Denn man spricht nicht: ich werde dich haben; wie sie gauckeln mit dem accipiam te; sondern accipio te, heist eigentlich auf Teutsch: Ich will dich nehmen oder haben, und wird verstanden de praesenti, dass er jetzt mit solchen Worten Ja spricht, und seinen Willen drein giebt. Ja, ich wüßte selbst nicht wohl, wie ein Knecht oder Magd sollten

<sup>u)</sup> Tom. X. Opp. p. 902. n. 21. conf. Eius Tischreden, Tom. XXII. Opp. pag. 1750. n. 99.

sollten oder könnten in Teutscher Sprache, per verba de futuro, sich verloben; denn wie man sich verlobet, so lauts per verba de praesenti. Und sonderlich weifs der Pöbel von solcher behenden Grammatica nichts, dass accipio und accipiam zweyerley sey; er führet daher nach unser Sprachen Art, und spricht: ich will dich haben, ich will dich nehmen, du sollt mein seyn, und dergleichen. Da ist jetzt die Stunde Ja gesagt, ohn weiter Aufzug oder Bedencken. Recte nobis videtur sentire LV THERVS, dum hanc sponsaliorum diuisionem impugnat, quippe quae nec satis clara est, nec ipsi rei naturae consentanea. Sponsalia, quae de praesenti dicunt, mera est animi fictio mente concepta, quod *ens rationis* appellant Philosophi. Ipsam enim indicant matrimonii exsequutionem, quae tamen a sponsalibus mirum quantum differt. Nulla plane de praesenti sponsalia fingi possunt, quum nullus facile excogitari possit casus, vbi non inter sponsalia et nuptias aliquod saltem temporis spatium intercedat, ideoque sponsalia, proprie loquendo, non nisi de futuro esse possint. Si forte dicas, publicam sponsonem in *εὐλογίας* actu nomine sponsaliorum de praesenti designari posse, minus accurate loqueris, nam neque haec ad sponsalia proprie sic dicta referenda est. Ex quo efficitur, hanc distinctionem meram esse verborum captationem, et ne vlllo quidem modo in sponsalia quadrare, vt quae natura sua nihil aliud sint, quam promissio futurarum nuptiarum <sup>w</sup>. Lubentes acquiescimus in illa sponsaliorum distinctione, quae non minus recepta, magis tamen conueniens est, qua diuiduntur in pura et conditionata, cum qua etiam saepius confunditur illa, quae de praesenti et de futuro dicitur <sup>x</sup>, qua tamen facile superfedere possumus.

Ante-

<sup>w</sup>) Sic ab ipso IUSTINIANO definiuntur, Lib. XXIII. ff. Tit. I. de sponsalibus, leg. I.

<sup>x</sup>) Eiusdem confusionis accusandus videtur IO. SCHILTERVS in *Instit. Iur. Can.* Lib. II. Tit. X. §. III.



Antequam hoc mittamus argumentum, duas subiiciemus obseruationes, quae partim quaedam ex supra dictis illustrare, partim in ipsa vita vtilis esse possunt. ICTOS in definienda hac distinctione nimis anxie verba curare professi sumus; quo tamen nemo ita abutatur, vt putet, perinde esse, quibus tandem verbis consensus matrimonii declaretur. Ipsa rei grauitas exigit, vt omnia verba incerta, ambigua et aequiuoca summa cura euitentur. Pertinent huc etiam iocosa, quae, in sponsalibus adhibita, ea irrita faciunt, quum iocus pariter et error consensum tollat. Si e. c. puella, parentibus orbata, consensum suum hoc in negotio declaratura, his verbis vti velit: *Ists auch wohl fragenswerth?* vel, *Er ist mir so lieb als ein anderer*: ex eiusmodi sermone tantum abest, vt consensus colligi possit, vt potius credendum sit, eam plane non velle in causam discedere, quum ad sponsalia rite contrahenda, *distincta et determinata* requiratur consensus declaratio. Alterum, quod monere, non ab re fore, ducimus, pertinet ad id, quod de tempore, quod sponsalia et nuptias intercedere solet, commemorauimus. Fieri quidem non potest, quin peractis sponsalibus, aliquot saltem dies praetereant, donec celebrentur nuptiae, in primis, quum *benedictio sacerdotalis* apud nos adeo sit necessaria, vt parum absit, quin ad ipsam matrimonii *essentiam* pertinere videatur, et praeterea *publica* etiam accedat *proclamatio*. Interim tamen maxime conducit, si istud temporis interuallum, quoad eius fieri potest, circuncidatur. Dicit enim non potest, quantum inde oriatur incommodi, si, peractis sponsalibus, nuptiae diutius differantur. Idem iam vidit LUTHERVS, cuius verba digna sunt, quae legantur: *Ich rathe, wenn das*  
Ver-

y) Lib. II. ff. Tit. I. de *Iurisdictione*, leg. XV. Ex Theologis idem ostendit GEO. DEDEKENNIVS in *Thes. Con-*

*fil. Theol.* Vol. III. Lib. II. Sect. I.

z) in *Tischreden*, Tom. XXII. Opp. pag. 1690. n. 12.

*Verlöbniß geschehen ist, daß man aufs allererste das Beylager und öffentlichen Kirchgang halte. Denn die Hochzeit lange aufziehen und aufschieben, ist sehr gefährlich, weil der Satan gern Hinderniß und viel Gewerres macht, durch böse Zungen, Verleumder, und von beyder Theilen Freunden. Wie mir geschah mit Magister Philipp und Eißlebens Hochzeit. Darum soll mans nicht verziehen, sondern nur flugs zusammen helfen. Und wenn ich nicht alsbald und in der Stille hätte Hochzeit gehalten, mit Vorwissen weniger Leute, so hätten sie es alle verhindert, denn alle meine besten Freunde schryen: Nicht diese, sondern eine andere.*

DIFFICILIS et in vtramque partem disputata est quaestio, num liceat defunctae vxoris sororem ducere? A nostris Theologis plerumque negatur, et, vt nobis videtur, recte quidem. Mirandum vero est, eos hac in caussa dissentientem habere virum, cui se tantum debere profitentur, vt ab eo nominari quoque patiantur. LUTHERVS enim eiusmodi coniugium pro licito habuit, in *oratione sacra* supra excitata <sup>a</sup>: *Dieser Personen* (quae in antecedentibus commemoratae sunt) *kann ich keine haben; die andern mag ich haben, und darf dennoch kein Geld darum geben; nehmlich, meiner Braut oder Weibes Schwester nach ihrem Tode; et paucis interiectis* <sup>b</sup>: *Die siebente* (caussa quae prohibet matrimonium) *heissen sie* (Pontificii) *publica honestas, die Ehrbarkeit; nehmlich, wenn mir meine Braut stirbt, ehe ich sie heimhole, so darf ich nicht nehmen ihre Schwester, bis ins vierte Glied; darum, daß den Pabst düncket, und scheinbarlich träumet, es sey fein und ehrbarlich, daß ichs nicht thue; ich gebe denn Geld, so ist die Ehrbarkeit nicht mehr. Aber droben hast du gehöret, daß ich meines Weibes Schwester und alle ihre Freundinnen*  
nehmen

<sup>a</sup>) Tom. X. Opp. p. 714. n. 17.

<sup>b</sup>) l. c. p. 718. n. 26.

nehmen mag nach ihrem Tode, ohne ihre Mutter und Tochter; dabey bleib, und lass die Narren fahren. Nos, quid hac in caussa statuendum sit, paucis videamus. Quod ad locum, LEV. XVIII, 18. attinet, qui vulgo hic adducitur, eum iam mittimus, propterea, quod huc plane non pertinere, sed potius de eo agere videtur, si quis duas sorores simul sibi iunctas habeat. Concedamus iam, hunc casum non diserte ac totidem verbis vetari in legibus diuinis, quum DEVS LEV. XVIII. non singulas nominauerit *personas*, quae matrimonium inire non possunt, sed tantum prohibitos *gradus* recensuerit; inde tamen non sequitur, eiusmodi matrimonium esse licitum, quum alia adsint argumenta, quibus contrarium demonstrari potest. Sapientissimus legislator generalem aliquam tulit legem, ad quam omnes casus, qui in disceptatione versantur, diiudicari debent. Exstat illa LEV. XVIII, 6. אִישׁ אִישׁ אֶל-כָּל-שֵׁמֶר בְּשָׂרוֹ לֹא תִקְרְבוּ לְגִלוֹת עֵרוֹה עֲנִי יְהוָה. Vult DEVS his verbis, vt abstineamus a coniugio cum omnibus illis, qui, quouis demum modo, *coniuncti sunt cum carne nostra*, vel ratione *consanguinitatis*, vel *adfinitatis*. Accommodemus iam diuinum hocce mandatum ad eam, de qua nunc loquimur, caussam. Maritum et vxorem *vnam esse carnem*, nemo facile negabit; hinc vxoris meae soror perinde est aestimanda ac mea soror, quia ego et vxor mea vnam quasi constituimus personam; vnde vxoris meae sororem non magis ducere possum, quam sororem germanam. In quocumque enim *consanguinitatis* gradu matrimonium prohibitum est, in eodem quoque *adfinitatis* gradu est vetitum. In eodem igitur gradu aliquis mecum iunctus est, in quo est iunctus cum vxore mea. Licet enim vinculum *consanguinitatis* certa ratione laxius sit, *adfinitatis* vinculo; vxoris tamen soror dici non potest vel vno gradu latius distare a viduo, quam germana ipsius soror. Sed quem ad modum

dum marito in linea collateralis aequali *consanguinitatis* nemo est propinquior, quam germana soror, sic ei in eadem linea *adfininitatis* nulla, vxoris sorore, propinquior est. Unde manifestum est, eiusmodi matrimonium non minus incestum esse flagitium, quam si germanam ducere velis sororem. Luculentius hoc patet ex *com. 16. excitati capitis*, vbi prohibet DEVS, quo minus quis fratris vxorem ducat. Si igitur fratri non licet, defuncti fratris vxorem ducere, sequitur, neque sororem defunctae sororis marito nubere posse. Siquidem omnes istae leges reciprocantur, et quod de vno sexu praecipitur, valet etiam de altero. Namque vtriusque sexus eadem est ratio; vbi vero eadem est ratio, ibi eadem est legis dispositio. Denique et hoc obseruari meretur, quod DEVS *com. 14.* disertis verbis interdicit coniugium cum patru vxore, quae etiam non nisi adfinitate iuncta, et non tam propinqua est, quam vxoris soror. Iam nulla certe ratio vquam reddi potest, cur DEO minus displiceat coniugium cum vxoris sorore, quae propinquior est, quam cum patru vxore, quae remotius distat<sup>c</sup>. Nec video, cur plerumque ICTI adeo mites sint in defendendis hisce nuptiis, quum ipsi hanc Imperatoris legem agnoscant: *Fratris vxorem ducendi, vel duabus sororibus coniungendi penitus licentiam submouemus*<sup>d</sup>. His igitur probe consideratis, non dubitamus, LVTHERVUM, dum illa scriberet, humani quid passum esse. Ne autem nimis sibi gratulentur secus sentientes de tanto ac tam illustri caussa suae patrono, sciant, ipsum posteriori tempore mutasse sententiam, quod patet ex *consilio quodam Theologico,*  
num

c) fusius hac de re egit PHIL. IAC. SPENERVS in *Theologischen Bedencken*, Part. II. Cap. III. Sect. VIII. nec non Vir Magn. inclytus huius Academiae Theologus, CHRISTIAN. FRID. BOERNERVS in *Auserlesenen Bedencken der Theologi-*

*schen Facultät zu Leipzig*, quae superiori anno cum ciuitate communicavit litterata, Part. III. Sect. II. Conf. II. et XVIII.

d) *Cod. Lib. V. Tit. V. de incestis et inutilibus nuptiis, leg. V. de vxore fratris, de sorore vxoris.*

num coniugium cum defunctae uxoris sorore licitum sit, ad LEONH. BEYERUM, verbi diuini ministrum Zwickauensem, dato, A. C. CIO IO XXXV<sup>e</sup>. Aliud eiusdem argumenti consilium Consistorii Wittebergensis, LVTHERO viuente et suffragante datum, quod breuius est, huc transcribamus: *Unsere freundliche Dienste zuvor, Ehrbar besonder guter Freund! wir haben euren überschickten ärgerlichen Fall, nemlich, dass ein Bauersmann seines verstorbenen Weibs rechte leibliche Schwester geschwängert, und folgendes auf Weisung des Pfarrherrn zur Ehe genommen, die auch ietzt mit dem Kinde in Wochen liegen soll. Dieweil ihr denn nun, aus Befehl unsers gnädigsten Herrn, des Churfürsten zu Sachsen und Burggrafen zu Magdeburg, hierauf, sonderlich der Strafe halben im Rechten, begehrt bericht zu seyn: so berichten wir, als die geistliche Richter, nach gebabten Rath der Herren Theologen, nach Erwegung des Falls, dass die Ehe in diesem ersten Grad gar nicht zulässig noch zu dulden: Derhalben so wird solche Ehestiftung für unbündig erkannt, und sollen solche Personen von einander, auch ihrer geübten Unzucht halben und zum Abscheu anderer gefänglich eingezogen, und willkührlich im Gefängniß etliche Wochen enthalten, und das erzeugte Kind von beyder Eltern alimentiret und ernähret werden. Dieweil aber der Pfarrherr daselbst, ohne Rath und Belehrung seiner gebührlichen Obrigkeit und geistlichen Superintendenten, die Ehe in solchen verbotenen Grad gerathen und nachgelassen; so soll ihm auch die Strafe des Kerkers acht Tage lang aufgelegt werden. Billig, von Rechtswegen.*

AD aliam iam deueniamus quaestionem, scilicet, num quis coniugium cum haereticis saluo iure inire queat. Concedit id LVTHERVS, et in Pontificios, qui illud pro minus

C 3

licito

e) Tom. X. Opp. p. 834. conf. in *Tischreden*, Tom. XXII. Opp. p. 1731. n. 80.

licito habent, acerbe inuehitur, in laudata oratione sacra f. Die fünfte (caussa, ob quam Pontificii matrimonium non concedunt) ist, Unglaube, nehmlich, dass ich keine Türkin, Jüdin, oder Ketzerinn nehmen mag. Mich wundert, dass sich die Freveltyrannen nicht in ihr Hertz schämen, so öffentlich wieder den hellen Text Pauli, I. COR. VII, 13. sich zu setzen. Wie ich nun mag mit einem Heyden, Jüden, Türcken, Ketzer essen, trincken, schlafen, gehen, reiten, kaufen, reden und handeln, also mag ich auch mit ihm ehelich werden und bleiben. Und kehre dich an der Narren Gesetze, die solches verbiethen, nichts. Man findet wohl Christen, die ärger sind im Unglauben innwendig, und der das mehrere Theil, denn kein Jüde, Heyde, Türcke oder Ketzer. Ein Heyde ist eben so wohl ein Mann und Weib, von Gott wohl und gut geschaffen, als St. Peter und St. Paul, und St. Lucia; schweige denn als ein loser falscher Christ. In hac quidem re, vt LVTHERO calculum nostrum adiiciamus, a nobis impetrare non possumus. Ne Andabatarum more pugnemus, ante omnia constituendum est, quaenam sit haeresis, de qua hoc loco sermo est. Intelligitur nimirum ea, quae adeo aperta est et publica, vt ipsum fidei fundamentum euertat; deinde ea, quae ne quidem in sensu politico pro vera haberi solet religione. Tres itaque illae religiones, in Imperio Romano toleratae, Pontificia, Lutherana, et Calviniana, hoc loco in censum non veniunt, propterea, quod, ex Instrumento Pacis Osnabrugensis, ob generalem iurium communionem in sensu politico heterodoxae non putantur. Cum iis itaque, qui aliquam harum religionum profitentur, nuptiae conciliari possunt, conscio tamen et consentiente senatu ecclesiastico; licet et hoc ipsum dissuadendum potius quam suadendum videatur, ob

f) Tom. X. Opp. p. 716. n. 22. 23.

ob seductionis periculum, et alia incommoda *g*. Cum illis autem, qui aliam, praeter has tres, sectantur religionem, purioris doctrinae vindex sponsalia contrahere nequit. Obstat, praeter multa *Conciliarum* decreta, lex Imperatorum, VALENTINIANI II. THEODOSII, et ARCADII: *Ne quis Christianam mulierem in matrimonium Iudaeus accipiat, nec Iudaeae Christianus coniugium sortiatur; nam si quis aliquid huiusmodi admiserit, adulterii vicem commissi huiusmodi crimen obtinebit* *h*. Ex quibus apparet, ne quidem cum *Sociniana* vel *Arminiana*, nedum cum *Iudaea* vel *Turca* coniugium licere; nisi forte pars contrahens haeretica spondeat, atque in se recipiat, eam veram, et per publicam fidei confessionem in terra, qua degit, approbatam, religionem amplexuram, et suos, quos adhuc fouerat, errores publice eiuraturam esse. Quod vero ad effatum illud *Paullinum* attinet, quod LUTHERVS pro sua excitat sententia, illud ad nostram plane non videtur pertinere causam. Primo enim, quod ibi dicit sanctus DOMINI legatus, non est lex diuina, quae mutari non possit, quum ipse addat *Apostolus*: ἐγὼ λέγω, ἔχ ὁ κύριος, sed potius pro consilio quodam haberi potest, quo uti debebant *Corinthii*. Deinde PAVLLVS non loquitur de matrimonio contrahendo, sed contracto; non dicit de Christianis, qui post conuersionem vxores infidentes ducere velint, sed de illis, qui iam antea matrimonium inierant, quorum altera pars in sua veteri sententia perseuerauit et permansit, altera vero a corruptis moribus ad eminentiorem vitam se reuocauit; atque, eiusmodi coniugium non temere soluendum esse, statuit. Quae quidem consuetudo apud nos quoque inualuit. Matrimonium enim, cum haeretica iam contractum, solui non potest, propter-

*g*) conf. Magn. BOERNERVS in libro supra laudato, Part. III. Sect. I. Conf. V.

*h*) *Cod. Lib. I. Tit. VIII. de Iudaeis et coelicolis, leg. VI. de nuptiis.*

propterea, quod iam est consummatum, et haeresis legitima diuortii causa non habetur. Cui quidem mori ipsum patrocinator *Concilium Tridentinum*, quod ita pronuntiauit: *Si quis dixerit, propter haeresin dissolui posse matrimonii vinculum, anathema sit.*

LICET plures essent LUTHERI de matrimonio sententiae, in quibus cum Iuris Canonici doctrinis componendis versari possemus: disputandi tamen finem hic facimus, ne Orestem scribere videamur. His autem scriptis ita utatur lector beneuolus, ut exinde animum nostrum, his in studiis proficiendi, intelligat potius, quam ut ea, quibus multa deficere, ipsi non negamus, seueritate nimis censoria examinet.

i) Sess. XXIII. Can. V.



Coll. diss. A. 96, misc. 38